

P R V S S I A.

Nomen.

Russia Latine Borussia (cujus à vicinia Rufforum nomen fortasse extitit) olim vocata fuit Hulmigeria, sicut adhuc quædam regionis portio juxta Vistulam appellatur Culmigeria.

Putatur primum per

omnem provinciam inhabitata à populis, qui olim federant juxta Tanaim, sed qui pertæsi illius terræ & egressi quæsitum fertiliorem terram venerunt in Hulmigeriam, ibique confederunt, illecti bonitate illius soli. Regio est amplissima atque illustrissima, fluviis ac lacubus stagnisque frequenter irrigua, frumenti maxime ferax. Alluitur à Septentrione mari Balthico, longo quinquaginta circiter miliarium Germanicorum tractu, à Pomeraniæ finibus & Vistula fluvio ad Chronum usque, quem hodie Memel, & prope ostia Russum accolæ vocant: ab ortu clauditur Lituania & Podlachia: à meridie Masovia & Drevancia fluvio, paululum supra Toronium in Vistulam illabente: ab occasu Vistula fluvio, à Pomeraniæ parte & Cassubia disjungitur. Porrigitur in longum à Chroni ostio ad Toronium urbem in ripa Vistulæ mill. Germ. 45, in latum ab oppido Podlachia Raigrod ad Vistulæ ostium totidem. Est in ea pecorum ingens vis, multa venatio atque dives piscatio. Ptolemæus vetustiores incolas recenset, Gothones, Venedos, Stagnanos, Sargatios, Sudinosque, cum Gedanis, Gillonibus & Charinis. Borussi proprie accolæ sunt Riphæorum montium, qui postquam in hæc loca migrassent, à suo nomine totam regionem dixere, quæ nunc una litera extrita & altera mollius expressa vocatur Prussia. Fluviis habet plurimos & sinus & portus, propter quos importationibus exportationibusque variarum mercium aptissima est. Sunt autem fluvii præcipui Vistula, Nemeni, Cronon, Nogat, Elbinga, Vusera, Passaria, Alla, Pregol, Ossa, Vrebnicz, Lica & Lavia. Idololatriæ dediti fuere incolæ ad tempora usque Frederici II Imperatoris, quo imperante anno 1215, Crucigeri ordinis Teutonici eos vincere, & religionis Christianæ doctrina imbuere. Postea irritati Borussi Crucigerorum tum crudelitate, tum avaritia, Casimirum Poloniæ regem Dominum elegerunt. Postea repetita defectione Marienburgum cum aliis castellis & urbibus regi vendiderunt 476000 florenis. At cum Mariani obedientiam Regi recusarent, tam diu utrimque vario Marte dimicatum est, donec universus tractus Alberto Brandenburgico ultimo Crucigerorum magistro cessit, qui etiam

*Fines.**Magnitudo.**Populi Veteres.**Fluvii.**Europa Sept.*

Cracoviæ à Sigismundo Poloniæ rege Princeps secularis & eques auratus factus est. Olim divisam fuisse dicunt à Veneduso Principe in XII ducatus, quorum nomina hæc sunt: Sudavia, Sambia, Natangia, Nadravia, Sladovia, Bartovia, Galindia, Varmia, Hogerlandia, Culma, Pomesania & Michlonia.

Divisa hodie est in Prussiam Regalem, quæ immediate Regi paret, & Ducalem, quæ Marchionibus Brandenburgicis in feudum concessa est.

Poloniæ autem Rex utramque Vistulæ ripam, usque ad illius ostia immediate possidet. Qui fluviis in Tiffinensi Silesiæ ducatu, non procul à Viadri fontibus, exoriens, versus Boream primum, mox ad orientem cursu directo, Oswencinum, Zatoriam, Cracoviam, regum & regni Poloniæ domicilium; Sandomiriam, ad Savi & Vistulæ confluentem, præterlabitur. Inde rursus in Septentrionem flexus, Warsaviam, Masoviæ metropolim; Ploscum, episcopi Plocensis, Vladislaviam, episcopi Cujaviensis & Pomeraniæ sedem; deinceps in Borussia, Toronium, Culmam, Grudentum, Mariæwerder, Mevam, Mariæburgum, Derfaviam, & Dantiscum urbes alluens, partim in mare Balthicum, partim in Borussiam sinum aquæ dulcis, tribus vel quatuor ostiis, se exonerat. Nam supra Mariæburgum duobus miliaribus Vistula in duos alveos, præaltis aggeribus objectis, sectus, in sulcam insignem ac fertilem efficit, ex quibus dexter, *Nogatus* vulgo dictus, in Borussiam sinum, prope Elbingam urbem, partim in fluvium, urbi cognominem, (bis mille passus supra urbem ex Drauso lacu effluentem) partim in sinum, tribus ostiis decurrit. Sinister vero, *Leniunca*, vel Vistulæ nomen retineus, mari jam proximus, rursus in duo se brachia findit; quorum alterum versus occasum, clarissimam hoc tempore urbem, & Maris Eoi emporium, Dantiscum præteriens, recepto Motlava & Rodano urbem permeantibus, in mare Balthicum, uno infra urbem milliari effunditur. alterum versus subsolanum, in sinum illum aquæ dulcis illabitur; quem duo miliaria latum, duodecim vero longum, Neringa peninsula angustissima, ceu brachium longius porrectum, à mari aperto sejungit. Insula vero Vistula & Nogato conclusa, & omnia ad hunc sinum recentem oppida & arces, Elbinga, Tolkemit, Frauenberga, & Brunsberga, usque ad Passariæ ostium: & tota Warmiensis diocesis ditio, ad meridiem ampla, & oppidis agrisque cultissima, vesicæ instar media in Ducali Borussia pendens, in regis solius sunt potestate.

Et si autem Prussia, Regi immediate subjecta, eodem cum Polonis regno continetur: tamen peculiare consilium publicum, leges, judicia (à quibus tamen ad regem provocatio est) ararium

*Partes.**Borussia Regalis.**Vistula fl.**Status Politicus.*

B b

rium

MARE

BALTICVM,

Septentrio

PRVSSIA
ACCVRATE DESCRIPITA
a Gasparo Henneberg
Erlichenſi.

RVSNAE fluminis
oſtiorum nomina.

- A Acmena deſiſt fluere
- B Schirngade
- C Alr Raſſe
- D Nœuſe
- E Theuſe
- F Raſſe ſine Helm
- G Kalnapp
- H Traſſapp
- I Vliſſa
- K Dandulapp
- L Schlada
- M Sulkeſch nauigabile
- N Athmuth piceſum

CARACTERVM HVIVS
Tabula Explicatio.

- | | | |
|---------------------------------|--------------------------------|-----------------------------|
| ⊙ Metropolis ſive magna ciuitas | ⊙ Parochia vſitata | A. Venus |
| ⊙ Vrbis vel oppidi muro cinctum | ⊙ Monasterium | N. Neus |
| ⊙ Vrbis cum arce | ⊙ Episcopatus nobilis | G. Magna |
| ⊙ Vrbis | ⊙ Episcopatus nobilis cum pace | E. Tertia |
| ⊙ Oppidum | ⊙ Domus conuentionis | S. Sylus |
| ⊙ Vrbis cum oppido | ⊙ Locus hinc olim habitatus | K. Lacus seu |
| ⊙ Vrbis | ⊙ Mons feruorum | + Lacus hinc olim habitatus |
| ⊙ Pagus Parochialis | ⊙ Mons arce vſitata | ⊙ Balus, Aorath |
| | ⊙ Mons | D. Germanica |
| | ⊙ Mons | P. Pruthonica |

Ooft See.

CASSIA
BIAE
PARS
Occidentis

Oriens
LITHVANIAE
PARS

POMERELLIA.

COLOAVIAE
sive
POLONIAE
MAIORIS
PARS.

PODOLIA
CHIAE
PARS.

Milliaria
parua, mediocria, et magna.

Excud: Guiljelmus Tanſ: Caſius.

Meridies



P R V S S I A.

rium & belli gerendi rationem habet. Consiliarii terrarum Prussiae quatuordecim sunt: duo Episcopi, Warmiensis, & Culmensis: tres Palatini, Culmensis, Mariæburgensis, & Pomeranicus: tres Castellani, Culmensis, Elbingensis & Gedanensis: totidemque Succamerarii; & tres primariae Civitates, Torunium, Elbinga, & Dantiscum. Hi bis quotannis ad deliberationes & judicia conveniunt, mense Majo, Mariæburgi; ad Michaëlis, Grudenti. Capitanei, seu præfecti arcium & redituum regionum octodecim sunt: Mariæburgicus; & in Palatinatu, Stumæ, Gnevæ, Mevæ, Stargardiæ: In Pomeranico, Slochoviæ, Suezæ, Tucholæ, Derfaviæ & Pusci: In Culmensi, Brodniciæ, Grudenti, Radinæ, Golbæ, Rogoznæ, & alii tres. In Borussia Regali clarissima urbium est *Gedanum*. Veteribus ignota fuit hæc civitas. Crantzius in sua Vandalia recentem illam atque adeo hesternam vocat, imo ex Turoniæ, olim florentis, interitu ortam, quod ob maris viciniam portusque commoditatem negotiatio hic esset aptior. Est enim Turonia interior ad Vistulam, vigesimo à mari milliari. Narrat idem, vixisse suo ævo, qui audisse se testaretur ex avo, relatum sibi à patre; venisse se Gedanum Hamburgensis urbis nuntium & oratorem, Senatūque adiisse ejus loci, qui tunc in privata domo coactus erat, quæ unica illic stabat lateritia, inter plures alias cannis palustribus & limo firmatas. Ingressum, vidisse patres conscriptos ad mensam, sine pallio, sine toga, cultellis ad componendum symbolum per plana demissis, ad metam ludentes. Eam scilicet tum fuisse publici concilii gravitatem: Ab illis exordiis intra unum seculum in eum splendorem excrevisse, ut ejectis Dominis suis, fratribus Teutonicis, regem Poloniae in subsidium evocaverint. Nomen urbi sunt qui datum putent à Getis & Danis. Goropius Becanus existimat dici, quasi vicum Danorum, *Danſwijck*. Mihi certum est, eandem esse analogiam vocum, *Dan*, *Codan*, *Cdan*, *Gdan*, & cum terminatione Slavonica *Gdanscke*: unde postea fluxerunt *Danſig* & Dantiscum. Locum describit Plinius. Pytheas, inquit, credidit, Guttonibus, Germaniæ genti, accoli æstuarium Oceani Mentonomon nomine, spatium stadiorum sex millium. Ab hoc diei navigatione abesse insulam Abalum. Illo vero fluctibus advehi electrum, & esse concreti maris purgamentum, incolas pro ligno ad ignem eo uti, proximisque Teutonis vendere. Hæc igitur antiquissima primordia urbis nunc toto orbe celeberrimæ. Ejus si quis nunc splendorem & magnificentiam, opes, privilegia, eximias commoditates maris & fluminis, structuras publicas privatasque, turre, templa, portas, basilicas, prytæna, xenodochia, atque in primis hominum ultro citroque comitantium frequentiam, cum prisca solitudine conferre velit, videbit singulari Dei favore, & egregia Magistratus prudentia, civiumque industria urbem cre-

viffe. Emporium est totius illius tractus opulentissimum, amplissimum, venustissimum. Quando muro cincta sit urbs, testatur inscriptio in summo templo posita, *Anno Domini 1343, quarta post Latare, positus est primus lapis muri civitatis Dantzck, & postea proxima feria sexta positus est primus lapis muri Ecclesiæ beatæ Mariæ Virginis.*

Post Gedanum in eadem Borussia parte est *Torunium*, vulgo *Thoorn*, celebre quondam emporium, antequam Gedanum ad id fastigium perveniret: nunc nudinis maxime clarum. Est & ibi *Elbingium*, Anglorum opibus, qui pannis hic negotiantur, in singularem nitorem indies crescens. Vulgo *Elbing* dicitur. Reliqua oppida notiora sunt, Mariæburgum, firmissimum munimentum, Grudentia, Bromberga, Culmia. hæc antiquissima & opulentissima quondam urbs. Braunsberga publico Iesuitarum Collegio famigeratum oppidum.

Ducalis Borussiae caput & sedes est *Regius Mons*, vulgo *Coningsberg*, Polonis *Krolewiec*, urbs nobilis & celebre maritimis mercimoniis emporium. Condidit urbem Primislaus 11 Bohemiæ rex, profectus eo cum Otthone Marchione Brandenburgico ad purgandum ab idolomania gentili Borussiae, sub annum Christi 1255. Est quidem & alia Coningsberga in Nova Marchia, opus Ottocari Bohemiæ regis. sed nos nunc illam Borussiae damus. Initio condita fuit, ubi nunc templum est S. Nicolao sacrum, extra urbem: sed exusto illo oppido anno 1260, exstructum est aliud arci vicinius. Hæc est ea urbs. quam nunc veterem vocant. Inde aliam ei vicinam fecit Bartholdus Commendator anno 1300, quæ *Lebenicht* dicitur. Tertiam nomine Kniphof in insula exstruxit magnus magister Winricus Kniperode anno 1380, loco uliginoso & palustri, adeo ut palis adactis in terram firmandum sit solum ad ædes exstruendas. Hæc insula duobus pontibus suburbio nequitur, habetque in se templum cathedrale cum Collegio. Eadem veteri urbi ponte jungitur, in qua Basilica est parœcialis, & in suburbio Steindanum, cum templo B. Nicolai, ad quod cœmeterium est civium. In oppido Lebenicht templum est S. Barbaræ, editiore loco exstructum: tum Ecclesia nova in foro equino: Cœnobium quoque Virginum, quod Kniperodius condidit. Fuerunt & alia duo cœnobia, quæ nunc in granaria Ducis conversa sunt. Arx quoque magnifica & elegans in ea civitate est cum turri excelsa: tum palatium Episcopi & aula publica conviviis civium epulisque solennibus destinata. Cives præter artes mechanicas omnis generis, negotiationem quoque maritimam exercent, frumenti, cinerum, picis aridæ & liquidæ, salis, lini, canabis, lanæ, ceræ, sebi, tignorum, mellis, pellicum. Fluvius Chronus, quem accolæ Prægelem vocant, urbem non tantum alluit, sed etiam percurrit, posteaque in sinum Venedicum maris Balthici sese immittit. Iuxta arcem lacus sunt bini,